57 54

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

GENTIANA

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

VVILHELMO HEINRICO

DVCE SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MONTIVM ANGARIÆ WESTPHALIÆ ET RELIQVA

PRAESIDE

IO. HADRIANO SLEVOGTIO

M. D. ET P. P.

PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO VENERANDO

PRO DOCTORIS GRADV

INSIGNIBVS AC PRIVILEGIIS

MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDIS

PVBLICÆ PHILIATRORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

IOANNES ANDREAS Weber,

MARIO-INSVLANVS PRVSSVS.

D. VIII JANVARII M DCC XX.

IENAE

LITERIS VVERTHERIANIS.

Viro Excellent[illegible]
atq experient[illegible]

PERILLVSTRI GENEROSISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO HENRICO

SACR. ROM. IMPERII DAPIFERO HAEREDITARIO, ET COMITI

DE WALDBVRG,

SACR. REG. MAJEST. IN PRVSSIA COMMISSARIATVS PRVSSICI PRAESIDI, AC CAMERARIO ORDINARIO,

DOMINO HAEREDITARIO TERRARVM Litſchen/ Schrammen/ &c. &c.

SVMMO LITERARVM PATRONO ET MAECENATI SVO GRATIOSISSIMO,

Diſſertationem hanc inauguralem in perpertuum humillimæ ſubmiſſionis monumentum, ſui ſtudiorumque ſuorum qualemcunque commendationem, cum pio omnigenæ felicitatis, ac perennantis proſperitatis voto,

ſubmiſſa animi devotione conſecrat
ſervus obſequioſiſſimus

JOANNES ANDREAS Weber.

J. N. J.

§ I.

GENTIANA, inquit Dioſcorides, lib. 3, cap. 3, *a Gentide*, quem Plinius, Hiſt. nat. lib. 25, cap. 7, Gentium vocat, Illyriorum Rege, ***primum inventa eſſe creditur, a quo etiam nomen habet:*** quod non ita intelligendum eſt, eam, tanquam raram plantam, ab ipſo primum obſervatam eſſe, cum, Plinio teſte, ubique naſcatur, in Illyrico tamen præſtantiſſima ſit; ſed quod ejus uſum, inprimis in peſte, per experimenta cognitum, populo commendaverit; ut proinde Serapioni Baſilica vocata ſit. Græcis ſonat γεντιάνη & γεντιανή, quam Narcen & Chironiam olim vocatam eſſe, poſt Hieron. Tragum, Jo. Bodæus a Stapel, in commentario in lib. 9, cap. 8, Hiſtoriæ plantarum Theophraſti Ereſii, pag. 1044, ſcribit: cum hæc nomina alias centaureo majori tributa fuerint. Inter ſynonyma, a Jano Cornario,

ex textu Dioſcoridis, ad finem operis repoſita, præter jam adducta, etiam cicendiæ, & ciminalis herbæ vocabula extant. Germanis, latinam & græcam vocem corrumpentibus, eſt Entzian & Entzig/ a ſapore vero Bitter-Wurtz; ad quem illi etiam reſpexerunt, quibus ea aloë Gallica, & Dardanis aloëtis audit.

§ 2.

Cum Dioſcorides, Plinius, Galenus, & reliqui antiqui, unius ſaltem gentianæ mentionem fecerint, crevit poſtmodum numerus per induſtriam recentiorum. Ex quibus modo laudatus Stapelius, quamvis in Theophraſti textu, loc. cit. nullam gentianæ mentionem offenderet, noluit tamen nobilem plantam ſilentio præterire, duasque icones, unam *majoris* officinalis, *flore luteo*, a Dioſcoride deſcriptæ; alteram *minoris*, quam Tragus, Geſnerus, Fuchſius, & C. Bauhinus *cruciatam* vocant, commentario inſeruit. Hiſce duabus tertiam Petrus Matthiolus, in comment. ad lib. 3, cap. 3. Dioſcoridis addidit, quæ a C. B. *gentiana palaſtris anguſtifolia*, a Lugdunenſibus, Dodonæo, Gesnero, *calathiana viola*, a Theodoro vero, in loco, a Gentianis remoto, poſt Lobelium, *pnevmonanthe* ſalutatur. Matthiolo eſt hæc inter gentianas *minima*, & ſpecies cruciatæ minor ſtatuitur: haud firmiori fundamento, quam quando eam ab Ananienſibus ruſticis *petinbroſam* vocatam, *metinborſam* potius ſalutandam eſſe ſcribit; quod, ob virtutes ſuas antiloimicas & anthelminticas, ſemper in burſa vel crumena geſtari debeat, inque Medicorum, eandem præſcribentium, crumenas multum auri & argenti mittat.

§ 3.

§ 3.

C. Bauhinus, cum, anno 1598, commentarium Matthioli in Dioſcoridem, ſynonymis auctum ederet, ternario memorato iconum gentianarum *quartam fl. rubro* junxit, eique ſecundum a majore fl. luteo locum conceſſit: ut proinde mirum videatur, cur non etiam illius aut albifloræ, cum Theodori Tabernæmontani Herbarium, anno 1613, itidem ſynonymis, & adjectis herbis, earumque virtutibus illuſtraret, mentionem fecerit: cum tamen non inutile fuiſſet, ſeptem illas gentianas, a Theodoro in tam diverſa capita, 13 ſcil. 14 & 81 diſperſas, iterum colligere, & ex ipſo Phythopinace, dudum anno 1596 edito, & 18 ſpecies comprehendente, eorum numerum amplificare: ne hic Autor Chabræo, 12 figuras, ex J. Bauhini Hiſt. univ. plant. mutuatas, exhibenti, inferior manſiſſet.

§ 4.

Larga itaque meſſis fratribus Bauhinis ceſſit, quorum labores Tournefortius in ſuos vſus vertens, ex modo citata Joannis Hiſtoria, & Caſpari Pinace Theatri botanici, 21 ſpecies recitante, in Elementa botanices 11, in Inſtitutiones autem 19 nomina, cum ſynonymis, ex Dodonæo, Cluſio, Fab. Columna & Tabernæmontano petitis, transtulit, quibus non ſolum ex Raji Hiſtoriæ plantarum tom. 1, lib. 15, ſect. 1, cap. 3, pag. 721, *Gentianella Indica* Bontii, & *Bandura* Cingalentium, ſed etiam ex tomo 3 Hiſtor. qui primi atque ſecundi ſupplementum eſt, ejusque lib. 15, cap. 3, pag. 360 & ſeqq. ex Pluckenetti Phytographia, & Mantiſſa Almageſti, nec non ex Moriſſonii Tabulis, nondum editis, & Petiverii actis Philoſoph. Londin. Cluſio item, Parckinſonio,

Bocconisque Muſeo rariorum plant. atque Horto Malabarico, & Muntingii Herbario Belgico, 6 gentianæ, & 12 vel 13 gentianellæ, ex Alpibus, Æthiopia, America, Marilandia, Virginiaque collectæ, nec non aliæ, e.g. Gentiana Hydropica &c. addi poſſent, modo omnes genuinis diſtinctionis notis ſignatæ eſſent: quas, vt nunc conſtituamus, potiſſimum laborabimus.

§ 5.

Poſuerat equidem Rajus, loc. cit. *folia nervoſa, in caulibus ex adverſo bina, flores calathoides, margine in lacinias aliquot, totidem folia* (petala intelligit) *imitantes, plerumque diviſo, & ſaporem amarum*, ceu genericas cognitionis notas: ſed reprehenditur a Tournefortio, pag. 96, Elem. botan. cui haud difficile videtur, gentianam *foliis alternatim poſitis, & nequaquam nervoſis, ſaporeque dulci* præditam concipere. Verum, quamvis negari nequeat, neque *locum*, aut *figuram foliorum*, neque etiam eorum *ſaporem* aut *colorem*, ſimilesque qualitates, promiſcue conſtans inter vegetabilia diſcrimen formare, ſed hoc a *fructificatione*, ut vocant, nempe a *flore* & *ſemine*, horumque *figura, numero* ac *ſitu* potius in plerisque petendum eſſe: neutiquam tamen hujusmodi notæ plane contemnendæ ſunt: cum, ipſo Tournefortio fatente, gentianis haud florentibus cognoſcendis inſerviant; tales vero plantæ, quales ille dari poſſe fingit, nondum alicubi inveniantur, prætereaque ipſi inuſitatum non ſit, quasdam plantas non æque per *ſolos* flores & fructus, ſed etiam per *radicum* & *caulium* ſtructuram, *foliorumque & florum figuram & colorem, ſitumque* diſcernere. Sic, ut ex multis exemplis pauca referamus, ad accuratam ſii, ſiſari,

ſiſari, bulbocaſtani, & tragoſelini dignotionem, non tantum flores & ſemina, ſed inſuper *radices* eorum; in dente leonis & hieracio *caules;* in abſinthio, abrotano, artemiſia, matricaria, chamæ melo, cotula, buphthalmo, millefolio, ptarmica, fœniculo, & meo &c. *foliorum figuram;* in chryſanthemo & leucanthemo *colorem florum* reſpicere jubet; cum in hiſce & multis aliis vix ſufficientia ex conſuetis characteris partibus ſigna diagnoſtica habeantur.

§ 6.

Id igitur potius tanti Botanici ἔργον fuiſſet, characterem, omnibus gentianis adaptandum, invenire; quodſi vero impoſſibile fuiſſet, tam diſtinctas figuras florum atque ſeminum ſub unum genus cogere, potuiſſet certe, quod paſſim alibi facere conſvevit, heteroclitas, & a formato charactere recedentes, ad alia genera ablegare, aut etiam prorſus *nova nomina* iisdem excogitare: cum, verbis Raji. Meth. plant. emend. & auct. pag. 81, *novorum nominum parcus non ſit;* nosque perſvaſi ſimus, talem licentiam Botanicos eadem animi æquitate toleraturos fuiſſe, qua permiſerunt, violam indicam ſcandentem Horti Paris. & utriusque Bauhini ab ipſo *Cardamindum*, piſumque veſicarium, poſt J. B. *Corindum*, ſolanumque racenoſ. Indic. H. R. *Phytolaccam*, & panacem racenoſ. Cornuti *Araliam* ſalutari, nec non in Corollario inſtit: novis generibus plantarum, ab ipſo conditis, *Phelyppææ*, *Dodartiæ*, *Morinæ*, *Gundeliæ*, *Elephantis* nomina, nunquam antea audita, imponi.

§ 7.

Cum igitur a Rajo, ejusque ſectatoribus conſtructus character minus ſufficiens habeatur, nec hactenus a Bota-

nicis aliis melior excogitatus ſit, & is, quem Chriſtophorus Knaut, pag. 7 Enumerationis plant. circa Halam naſcentium, habet, quatuor tantum gentianas, patriæ ſuæ ſolo indigenas, concernat, imo, ſi vera fateri volumus, ne his quidem omnibus competat, dum flores *monopetali erecti, cavi, & oblongi*, ibi tanquam eſſentialia ſigna gentianarum poſiti, primæ ſaltem, ſecundæ & quartæ ſpeciei, tertiæ autem in ordine, florem quadripartitum, i. e. tetrapetaloidem alenti, minus competat: ideo ex Elementis & Inſtitutionibus Tournefortii ſequentem eruemus: *Gentianæ flos eſt ſimplex, regularis, monopetalus vel companiformis, in quinque aut ſex partes ſectus, vel tubulatus diductus, & varie fiſſus, ex cujus calyce, trans floris fundum, bicorne piſtillum ſurgit, quod in fructum membranaceum, unicapſularem, ovatum, acuminatum, & in medio pauliſper inflatum, ac, per maturitatem, in duas valvas dehiſcentem abit, in quo multa ſemina, modo rotunda compreſſa, & margine membranaceo cincta, modo ſine margine, vel rotunda, vel ovalia & ſtriata continentur.*

§ 8.

Vocat Autor florem *monopetalum*, &, in Inſtitutionibus quidem, tantum *multifidum*, ut Lector, haud ſine tædio, incertus de numero ſectionum relinquatur; cum tamen eadem facilitate, qua id in Elementis ut plurimum fecit, ſtatim numerum laciniarum addere, eumque hoc loco *quinarium* & *ſenarium* eſſe, indicaſſet, vel potius *penta-* aut *hexapetaloidem* eundem appellando, unico vocabulo, floris fundum integrum, reliquam autem ejus laminam, quinquies vel ſexies fiſſam eſſe docuiſſet. Cur autem

tem *campaniformem* figuram *quibusdam* floribus tribuat, obſcurum eſt: cum nec in gentiana majori lutea, nec in aliis, *non tubulatis*, quidpiam campanæ ſimile obſervetur, ſed laciniæ potius memoratæ, fere ad baſin penetrantes, in aëre æſtivo liberoque, *ſtellæ* inſtar explicentur, ideoque flos ipſe *ſtellatus* dici mereatur, qualem etiam figuræ a Theodoro, Trago, Lobelio, Chabræo, Moriſſone, ipſoque Tournefortio, Tab. 40, depictæ, exhibent.

§ 9.

Circa *receptaculum* ſeminum non una Autorum ſententia eſt. Quamvis enim nudis oculis *piſtillum bicorne*, embryonum, a ſtaminum anthera fœcundandorum, matrem, in tubum membranaceum ventricoſum abire, & *ſimplici cavitate* præditum eſſe pateat, placuit tamen inſignibus Viris contrarium ſtatuere: inter quos Rajus, meth. plant. p. citata, folliculum ſeminum *bicapſularem* eſſe ſtatuit; oblitus, in ſua Hiſtoria I. Bauhinum, Cluſium, Columnam, &c. varias gentianarum ſpecies deſcribentes, plus ſimplici quidem vice, vaſculum illud *bifidum*, *bivalve*, & *in duas æquales partes ſe aperiens* vocaſſe, nunquam autem *duas cavitates* ipſi tribuiſſe. Erroris igitur hujus cauſam credimus partim defectum autopſiæ, qua ſemet in multis aliis quoque plantis laboraſſe, ſponte fatetur, partim nimiam autoritatis Hermanni, Cynoſ. mat. med. Part. 1, p. 51, idem aſſerentis, fiduciam fuiſſe: ut propterea merito a clariſſimo Chriſtiano Knautio emendetur, Meth. plant. genuinæ, pag. 43, ubi Moriſſon quoque & Bobartus, quaſi gentianam plantis multiſiliquis accenſuerint, notantur.

§ 10.

Poſt florem & receptaculum ſeminis, hujus examen quoque ſuſcipiendum eſt; cum idem non omnibus ſpeciebus ejusdem figuræ contingat. Quamvis enim Tournefort, cum in Elementis id ordinairement aplati & fueilletê, *planum & foliatum* vocaſſet, in Inſtitutionibus ſemet ipſum corrigens, illud *plerumque tantum* planum, orbiculare, & marginatum pronunciet, & tale quoque in icone tabulæ 40 repræſentet, & Rajus, loco modo citato, ſemina in *plerisque* ſpeciebus plana & foliacea appellet: nondum tamen hoc pacto id, quod ſenſus docent, aſſeritur: cum non plerumque aut inplerisque, ſed vix in quatuor aut quinque gentianis, flores ſcilicet luteos, purpureos, albos & cœruleos, aſclepiadisque folia gerentibus, ejusmodi ſemen, quod alii *paleaceum* & *aceroſum* vocant, reperiatur, & contra ea reliquæ omnes, quotquot apud Rajum, in primo atque tertio Hiſtoriæ tomo, ex utrisque Bauhinis, Cluſio, Columna, & aliis, in ſuperioribus nominatis deſcriptæ leguntur, *gentianarumque* & *gentianellarum* nomina, ſortitæ ſunt, ſemina vel *rotunda globoſa*, vel *compreſſa, oblonga* item & *ſtriata*, cuncta *ſine margine*, & nulla quoque *pulverulenta*, qualia Moriſſon, Hiſtor. Oxon. univ. Part. 3, ſect. 12, c. 14, p. 481, fingit, poſt ſe relinquant.

§ 11.

Antequam hinc abimus, circa gentianæ majoris, fl. lut. quam, ceu præcipuam hujus generis vegetabilium ſpeciem, Botanici cæteris anteponunt, *ſemen* levis adhuc ſcrupulus removendus eſt. Cum enim hoc Dioſcorides *latum*,

leve

leve aceroſum eſſe, & ad ſphondylii ſemen accedere ſcripſerit, hoc vero, more apud umbelliferas herbas recepto, ſuo gemello ſociatum, dorſum pellicula rugoſa tectum, eaque demta, ſuperficiem amplam, inæquabilemque, & extrema, in tenuem membranam deſinentia, exhibeat, ideo Hieronymus Tragus, Herbarii Sect. I, c. 56, ab hac deſcriptione recedens, gentianæ ſemen *parvum, tenue, latum, leucoioque* potius *luteo* ſimile aſſignavit, & J. Bauhinum, ut eadem comparatione uteretur, diſpoſuit. Cum autem nonnulla leucoia ſemina oblonga, & ſine margine, alia autem rotunda magis, depreſſa, & exiguo limbo circumdata obtineant, ideo hæc potiſſimum indigitari, per adjectum epitheton Tragus ſignificavit.

§ 12.

Ex hactenus allatis patet impoſſibilitas, manentibus hactenus receptis nominibus, tot herbas, per ea indicatas, & tam manifeſte, quoad fructificationem, diſcrepantes, ſub uniformem characterem cogere. Quamvis enim Tournefortio, p. 81 Elementorum, tanquam πρόβλημα, in mentem venerit, *duo* genera hujus vegetabilis ſiſti *poſſe;* ut ſcil. *gentianæ* nominentur, quæ florem *campaniformem* (ut ipſe vocat) gerunt, *gentianellæ* autem, in quibus ille *tubulatus* eſt, taliſque dividendi modus a Chriſtiano Knautio, Meth. plant. gen. p. 96, prorſus approbatus ſit: mox tamen ab ipſo ejus Autore reprobatus, ac proinde neutiquam in Inſtitutiones receptus eſt: cum, quod verba Gallici textus, immediate iſtam propoſitam diviſionem excipientia, indicant, tunc opus eſſet, ſpecies, magnitudine illi communi (fl. luteo, hominis altitudinem attingenti) æqua-

les, inter gentianellas, ceu horum diminutiva ponere, & e. g. plantas, a C. B. gentiana major fl. purpureo, & fl. punctato appellatas, inter gentianellæ ſpecies remittere: quod *inconveniens* ut evitetur, neceſſarium eſſe, *duas plantarum ſortes, parum* (imo multum) *per florum* (& ſeminum) *forma differentes, uni gentianæ characteri includere:* cui neceſſitati, ne nimis obſtinati videamur, nos quoque ſubſcribimus.

§ 13.

Cum autem modo, & alias frequenter diſtinctionem gentianarum in *majores & minores* nominaverimus, in tranſitu ad alia monemus, non ex floris *mole*, ſed ex *caulis* potius *proceritate*, aut *foliorum amplitudine* magnitudinem æſtimandam eſſe: & proinde, inter tot hactenus cognitas ſpecies, vix quinque aut ſex *majorum* cognomentum jure ſuſtinere, reliquas autem omnes *minorum*, i. e. gentianellarum claſſi inſeri; quamvis una vel altera earum, e. g. vernalis gentianella, puſilla herba, flore ſuo calathino inflatoque, proceros bicubitales & tricubitales ſuperet.

§ 14.

Conſtituto igitur qualicunque gentianarum charactere, nunc per eundem præcavere quimus, ne plantis, aliena ab illis facie conſpicuis, porro, ut hactenus temere factum eſt, ipſis minus competens nomen irrogetur, aliisque idem, præter meritum, dudum gerentibus adimatur. Haud amplius igitur radix illa, officinis quibusdam gentiana alba, & noſtratibus rhizotomis weiſſer Enzig audiet, quam J. B. libanotidem Theophraſti, & ſeſeli æthiopicum, Matthiolus cervariam albam, celeberrimus Valentini,

Part.

Part. I, Muſei muſeor. c. 39, p. 203, peucedanum Italicum & tandem, poſt Moriſſonem, Tournefortius laſerpitium foliis latis lobatisque vocant. Quamvis enim nec amaritie gentianæ magnæ, ne uſu (quem citatum Muſeum ipſi plane denegat) in febribus, & ventriculi, hepatis ac uteri morbis egregio cedat, nomen tamen ejus affectare nequit; cum herba ſit umbellifera, quæ, poſt florem pentapetalum, gemella, & in dorſo 4 latis alis inſtructa ſemina producit. Sic ob floris & ſeminis diſcrimen, gentiana folio convoluto Anglica Gerardi, apud Chabræum, p. 503 delineata, ad lychnides, una cum Gentianella larulichroo Fab. Calumnæ a Moriſſone, H. B. p. 221, ablegatur. Nec Tſiange Puſquam, in Horto Malabarico, gentianella foliis trinerviis, flore cœruleo bipartito appellata, hic, ob florem *papilionaceum* & ſemina nuda, ſtare poteſt. De gentianella Alpina minima, pyrolæ folio, dubitat Rajus, cum nec florem nec fructum viderit. De Bandura Cingalenſium, inter gentianæ Indicæ ſpecies relata, aget D. D. Præſes in Proluſione, noſtræ Diſſertationi præmittenda.

§ 15.

Excluſis h. m. herbis, *falſo* gentianarum nomen uſurpantibus, *exactior* jam *verarum explicatio* ſuſcipienda eſſet: verum, cum ea modum ſpeciminis exceſſura ſit, in communi illa majori fl. luteo, ut paſſim ſalutatur, ceu, in officinis notiori, præcipue occupabimur; cujus deſcriptionem, maximam partem ex Dioſcoride, hinc & aliis depromtam, dabimus. Radix craſſitie ſæpe brachium viri, & longitudine duos cubitos æquans, multifida eſt, griſea, vel rufa, aut fuſca cuticula, pro ratione ſoli, tecta, intus ſub-

 ſtan-

ſtantiam flaveſcentem, pulpoſam, poroſamque, & inſigniter amaram ſine odore continet, unde caules cubitales, bicubitales, interdum tricubitales, læves, cavi, digitum craſſi & geniculis diſtincti exſurgunt, ex quorum lateribus utrinque folia, ſibi oppoſita, pediculisque ſubrubris & connatis caules amplectentia, prope radicem multa, deinde, per majora intervalla, pauciora prodeunt, inferius nuci juglandi, aut plantagini, deinde helleboro albo potius ſimilia, ſed polita magis & lucida, tribus aut quinque nervis intertexta. Ex horum ſinibus, a medio caulis ad ejus apicem, multi calyces, in quinque vel ſex apices diſtincti, & verticillorum more diſpoſiti, naſcuntur, in quibus flores lutei, longiuſculi, quoad fundum integri, mox in quinque vel ſex lacinias profunde diſſecti, & in ſtellæ figuram, cum interpoſitis totidem ſtaminibus clavatis, ſeſe explicantes continentur, ex quorum bicornibus, & in medio turgidulis piſtillis capſulæ membraneæ, ejusdem figuræ, ſimplici cavitate præditæ, &, maturitatis tempore, ſponte in duas partes dehiſcentes, fiunt, quæ multa ſemina, leviter rubentia, rotunda, compreſſa, tenuique margine membranaceo cincta offerunt.

§ 16.

In hac deſcriptione occurrit circa *folia* diſſenſus autorum, cum in quibusdam codicibus Dioſcoridis τὰ φύλλα ἐν μέσῳ τῷ καυλῷ, καὶ μάλιστα τὰ κατ' ἄκρον ἐσχισμένα μικρῶς, *folia in medio caule, & maxime circa ſummum leviter fiſſa:* in aliis autem ἐπισχισμένα μακρῶς, *longe & prolixe in ſuperficie inciſa*, legantur, & Cornarius atque Ruellius in ſuis verſionibus hunc quidem textum ſequantur, ſed eo ipſo inſignium Botanicorum oculis fidem derogent, qui *nihil*

bil fiſſi in foliis deprehendentes, nobis in iconibus iſta a capite ad calcem *integra* exhibent. Primus, quantum ſcimus, Bodæus a Stapel, in Comm. ad Theoph. l. c. errorem hunc a doctis viris agnitum, & ita correctum tradit, ut Dioſcoridis verba id ſonent: *καὶ μάλιϛα τὰ κατ' ἄκρον φύλλα μικρότερα, in ſuperiori caulis parte ſita folia ſunt minora.* Hinc quando Tragus, l. c. de germinatione gentianæ ita loquitur: **Die bletter/ ſo erſtmahls auf der erden ausgeſpreit liegen/ vergleichen ſich den breitten wegerich/ oder den Nußbaum-blettern. Die runde hole ſtengel dringen mit heraus/ mit Knöpffen/ und kleinen zerkerfften bletlin/** &c. eum non niſi de incipientibus verticillis, eosque conſtituentibus cuſpidatis calycibus florum intelligendum eſſe, ex adjecta icone herbæ patet, in qua infima, media, atque ſumma folia, absque ulla fiſſura, una cum floribus ſtellatis perfectis, imperfectisque verticillis & globulis, a rudi quidem, ſed accurata tamen manu ſculpta, cernuntur.

§. 17.

Quando porro Dioſcorides *καρπὸν ἐν κάλυξι*, Botanici autem eum in *capſula* recondi tradunt, facile conciliantur. Quamvis enim in pluribus vegetabilibus, e. g. cunctis verticillatis, borragine item, & aſperugine, ſymphytoque &c. ſemina, præter *calycem*, nullum peculiare receptaculum nanciſcantur; ideoque talia inter *γυμνόσπερμα*, quæ ſemina *nuda*, exemplo ranunculi, ſagittalis, caryophyllatæ, clematidis, umbellarum, &c. nulli capſulæ includunt; & inter *ἀγγιόσπερμα*, quæ illa more papaveris, leguminum, naſturtii, raparum, &c. vel in capitibus, vel in ſiliquis, vel in ſilicu-

 lis,

lis, vel in vaginis continent, medium locum obtineant; rectius tamen gentiana *vaſculoſa* judicatur, cum ejus ſemen non immediate a calyce, ſed mediante capſula, ex piſtillo profecta, ab eo cuſtodiatur.

§ 18.

Locum natalem Dioſcorides montium cacumina conſtituit, eaque non aperta & ſicca, ſed *umbroſa* & *aquoſa* intelligit, ubi radix ſufficientem ſuccum invenit, ut ipſa brachii craſſitiem, & herba trium ulnarum altitudinem acquirat. Laudat Matthiolus in excelſis Tridentinis montibus, præſertim in Ananiis, prata & paſcua. Tragus nominat in Germania Sylvam nigram, Stiriam item, ac Auſtriam, ubi inter filices frequens reperitur. Poſt J. Bauhinum, Rajus in Alpium & Genevæ montoſis paſcuis copioſam vidit. Hungaria profert ſæpiſſime florem purpureum, Stiria album, nec Norvvegiam ea carere, teſtis eſt S. Pauli, in Quadrip. bot. Tempus florendi ordinarium in frigidiori climate eſt Junius & Julius, ut ſemen in Auguſto maturetur; in calidiori autem regione jam medio Majo flores explicantur. Poſtquam autem finem, cunctis vegetabilibus a natura aſſignatum, ſcil. fructificationem abſolvit, tunc commune tot præclaris herbis, v. g. coronæ ſolis, quam J. B. herbam maximam vocat, phytolaccæ Tournef. ſtrammoniis, ricinis, perſicariæ magnæ lapathi folio, &c. tot cubitorum proceritatem, amplamque latitudinem unica æſtate accipientium, fatum ſubire cogitur, ut ante hyemis adventum conſumatur, radice tamen ſalva manente, ex qua & ſemine ſequente vere renovatur. Adeo autem amans ſuæ patriæ eſt, ut, cum una alterave

gentia-

gentianellarum vernalium & autumnalium, in hortos transſlatarum, ſpectantium oculos ſua pulchritudine delectent, ex majoribus tamen ſpeciebus hæc noſtra imprimis, cultum reſpuat, &, teſte Stapelio, l. c. in ſuo horto, eodem, quo plantata fuit, anno, omni diligentia fruſtra adhibita, perierit, & quamvis in horto medico Lugdunenſi & Mülleri Groningenſi aliquando floruerit, elapſo triennio tamen interierit.

§ 19.

Cum non niſi radix in officinis expetatur, merito illa, per exſiccationem admodum rugoſa facta, qualis plerumque ad nos affertur, repudianda eſſet: quia tempore minus opportuno, menſe ſcil. Septembri, quem vulgo effoſſioni deſtinant, collecta eſt; antequam in locum ſucci, per æſtatem in plantæ caules, folia & ſemina magna ex parte impenſi, novus ſucceſſerit; id quod ſequente demum vere, quo novelli turiones, ceu reparatarum virium indices, ex terra emicare incipiunt, futurum eſſe rhizotomi cogitare deberent; quia tunc radicem, quantitate ſucci & virtutibus autumnalem ſuperantem, invenirent.

§ 20.

Tribuerat Dioſcorides gentianæ vires *calefaciendi* & *adſtringendi*, quas nonnulli, ceu ex diſcrepantibus principiis fluentes qualitates, vix ſimul in eodem concreto ſtare poſſe crediderunt. Cum craſſum atque fixum attenuare, & quod adſtrictum eſt, reſolvere, inque motum revocare, caloris proprium munus ſit: adſtringendi facultas autem non minus a frigidis, fluidum coagulantibus, quam a ſiccis,

humi-

humiditatem imbibentibus, expectanda ſit. Plerique igitur vel cum Avicenna, radicem calidam in tertio, & ſiccam in ſecundo gradu, vel, cum Schrœdero, caliditatem atque ſiccitatem ejus in ſecundo gradu ſubſiſtere ſtatuunt, eamque fixarum partium ſulphurearum, ſalinarum atque terrearum, quibus amara inodora pollent, beneficio, humores viſcidos minusque mobiles fluidos reddere, obſtructiones meatuum & pororum, jam inde natos, reſerare, & imminentes præcavere, hinc frigiditatem, ſolidis inductam, emendare, coctiones viſcerum debiles adjuvare, tonumque eorum imminutum roborare, ſecretiones tardius procedentes promovere, & motum atque calorem vitalem ubique inſtaurando, ſtaſes, putredines & corruptiones, arcere aſſerunt.

§ 21.

Edere vero ſolet tot ſaluberrimos effectus partim *inſenſibiliter*, & ſine manifeſto motu, quod *alterare* Medici vocant, partim *evidenter*, naturam excitando, ut ipſa, quod noxium eſt, ex corpore per cutem, parotides, renes, uterum, inteſtina & alia conſueta inſuetaque loca ejiciat; & hac ratione, gentiana non ſolum, per ablationem ſuperflui humidi, ſuam *ſiccandi* vim exerceat, ſed ſimul etiam per laxitatis toni, in viis & viſceribus plurimas anomalias, circa coctiones & excretiones, generantis, correctionem oſtendat, ſemet a Dioſcoride recte inter *adſtringentia* remedia relatam eſſe.

§ 22.

Ne vero tot reliqua encomia, ipſi attributa, ultra limites potentiæ ejus vagari videantur, per teſtimonia Pra-

ctico-

cticorum illa aſſerta confirmabimus. Inter hos Galenus, lib. 6, de Simpl. med. fac. c. 8, ita loquitur: Gentianæ radix multum eſt efficax, cum opus eſt *extenuatione, purgatione, abſterſione, obſtructionis liberatione: nec mirum, ſi hæc poſſit, cum impenſe ſit amara.* Sed temere hoc loco vim alexipharmacam omiſit, quam alius, Galeni nomen præ ſe ferens, ad Paternianum de ſimplicibus medicamin. ſcriptus liber, cap. 121, pag. 320, tom. 8, ita effert: *eſt* radix *guſtu amariſſima, & habet vires acres & excalfactorias & relaxantes,* (reſolventes) *& acrimonia & amaritudine ſua poteſt partum expellere, & omnem ſerpentem fugare, & adverſus venena prodeſſe.* Uno igitur omnium ore in peſte & malignis affectibus præcipuus uſus ipſi adſcribitur, ut Lobelius eam putredinis (qualem utplur. animalium venena humoribus inferunt) hoſtem infenſiſſimum, & veneni mortem, peſtisque adeo præſens remedium appellet, ut non modo hominum, ſed brutorum etiam incolumitatem tueatur, amiſſamque reddat, & idpropter in celeberrimas antidotos, Mithridatium Damocratis, Theriacam Andromachi & Diateſſaron Meſues, Fracaſtoriique Diaſcordium recipiatur.

§ 23.

Ubi tamen monendum videtur, ne uni vel alteri ſimplici nimium fidentes, titulisque medicamentorum abutentes, Hermanni Cynoſuram, pag. citata, ex ſola gentiana & melle theriacam conficere præcipientem, audiamus, aut Meſuen, ex ariſtol. rotundæ, gentianæ, baccar. laur. & myrrhæ æqualibus partibus, cum melle theriacam ſuam

διατεσσάρων parantem, imitantes, porro circumforaneis occaſionem præbeamus, ad Meſues exemplum, Trago teſte, baccas lauri, gentianam, aliasque radices, omiſſa myrrha, cum melle miſcendi, credulæque plebi, ſub ſpecioſo theriacæ nomine obtrudendi. Quamvis enim talismodi pharmaca in febribus & affectibus ventriculi, capitis, uteri &c. juſto tempore adhibita, admodum proficua exiſtant, falluntur tamen, qui, cum nomine, ſe rem ipſam obtinere credunt, aut, Marggravio, Mat. med. contr. Sect. 4, c. 12, non æque contradicente, Meſues diateſſaron theriacæ, ab Andromacho denominatæ, *præferre* audent: cum, ut alia ingredientia taceamus, ob ſolum opium, hæc illi, & iſti Agyrtarum in pluribus caſibus ſuperior deprehendatur.

§ 24.

Ad ſerpentum morſus Dioſcorides ℥ij radicis cum pipere, ruta & vino laudat. Serapioni, per experientiam, magna ejus adverſus vulnera, a rabido cane inflicta, efficacia innotuit; quem poſtmodum alii cum ſucceſſu ſecuti ſunt. Haud pigebit modum curationis verbis Tragi, orthographiam & elocutionem noſtræ linguæ, ante duo ſæcula uſitatas, repræſentantibus, ex cit. cap. 56, deſcribere: Gedörrte Entian-wurtzel rein geſtoſſen/ und durchgeräden/ davon eins quinten ſchwär/ mit einem quinten Myrrha/ und zweien quinten gebranter bach-krebs-aſchen/ in wein getruncken/ vier tag nach einander/ iſt die beſt und fürnembſt hilf und artznei/ denen/ ſo von den raſenden hund ſeind gebiſſen. Man ſoll auch die

die wunden offen halten / ſchön weſchen mit eßig oder ſaltz-waſſer / auch köpfflin darauf geſetzt / das Gifft darmit herauſſer zu ziehen. Ettlich laſſen den Schaden mit glüenden eiſen brennen.

§ 5.

Propter facultatem reſolvendi, haud exiguas quoque laudes in obſtructionibus hepatis, lienis, uterique meretur, aut ubi a ſanguine ex lapſu, contuſione, aut ruptione vaſis alicubi ſtagnante, dolores oriuntur, abſceſſusque metuendi ſunt. Commendantur tunc ejus pulvis, infuſum, decoctum, ſuccusque expreſſus & per coctionem prolectus. Vocat hunc interpres Dioſcoridis *extractum*, (cum rectius *rob* audiret) eumque inprimis pleuriticis commendat. Paratur ex radicibus, quæ, cum aqua per 5 dies maceratæ, poſtmodum coquuntur, brodiumque frigefactum, ut fæces fundum petant, & colatum, ad mellis craſſitiem, per coctionem ſpiſſatur. Eundem Schrœderus a ʒß ad ℈iiij cum ſucceſſu in febribus intermittentibus dari aſſerit. Cauſam auxilii Hermannus, l. c. amaritiei radicis intenſæ, & ſali ejus *fixo rigidoque* adſcribit, cujus ope febribus, & ab iis dependenti ventriculi debilitati proficua evadat. Dolæus æquiparat eam cortici Peruviano, ſecutus Danielem Ludovici, qui Pharm. mod. ſæc. appl. Diſſ. 1, p. 113, ſolitariam gentianam, tantillo nucis vomicæ ſociatam, olim haud parum, certe æquivalens, aut conſtantius quid, quam nunc cariorem Chinam chinæ, præſtitiſſe, ejusque extractum iſti, quod ex zedoaria, & modo nominato cortice paratur, æquipollere ſcribit: ſed ob horrendum, ut vocat,

ſaporem rarius ipſam ab eo in uſum vocatam eſſe videtur. Commodior igitur, pro delicatioribus, pilularum forma erit; quarum duas ex Hermanni l. c. apponemus: Rec. Pulv. gentian. ʒß, ſal. abſinth. gr. 15, in robuſtis ℈j, F. Pilulæ, auri folio involvendæ. Rec. gent. ſerpent. Virg. cort. chin. a ℈ß, ſal. prunell. ℈ß vel gr. 15, m. f. Pulv. vel redig. dicto modo in pilulas, quas Autor omnibus intermittentibus febribus convenientes ſiſtit, iisque infuſum, ex rad. gentian. ʒiij, ſerpent. Virg. ℥ß, cort. chin. ʒiij, fl. cent. min. pj, piper. long. ʒß, cum vino parandum, & in alvi adſtrictione, jalap. fol. ſenn. rad. helleb. n. & paſſulis exacin. augendum, addit.

§ 26.

Quamvis pectoris affectibus vulgo dulcia deſtinentur, amara tamen ſua utilitate in iisdem minime carerent, ut ſcil. reſolvant, putredinem corrigant, ſimulque roborent, inter alia, myrrha, veronica, ſcordium, trifol. aquat. noſtraque gentiana probant, in infuſo vel electuario; additis, pro re nata, ſaporem gratiorem reddentibus. Haud levem qq. icterici, aut hepatis & lienis obſtructionibus ſubjecti, opem a talibus, junctisque rhabarbarinis, cichoraceis, ebulinis, helleborinis &c. ſibi polliceri, inſtantemque ex cachexia hydropem avertere poſſunt.

§ 27.

Quod ventriculo ſaluberrima ſit, ex antecedentibus cognovimus. Theodorus componit pulverem ex gentianæ, zingiberis, calami arom. liquiritiæ ana ℥ß, ſem. aniſ. fœnic. coriandr. ana ʒij, coryophyll. ʒj, quibus, pro lubitu,

tu, etiam piper addi poteſt. Quid Tragus de ejusmodi medicamentis ſentiat, ita exponit, l. c. Der gemein Man weiß kein beſſern Tiriac oder magen-artznei/ als eben den Entian. Den was ſie innerlichs Preſtens in Leib und Magen fühlen/ vertreiben ſie mit Entian/ Calmus oder mit Jngwer/ und geraht etwan ſolche Artznei baß/ dann hetten ſie die gantz Apoteck mit jren Sophiſtiſchen und Arabiſchen Pilulen eingeſchlunden.

§ 28.

Vermibus inimica eſt, non, ut communis fert opinio, propter ſolam *amaritiem:* cum hanc non omnes reſpuere, colocynthidis poma, ab illis eroſa, & bilis brutorum atque hominum ſæpe verminoſa evincunt: cum contra ea inſipidum ☿ vivum, ac ♄tum dulcem, ſulphurque commune ferre nequeant, & Hermannus, l. c. p. 55, pulverem gentianæ cum dulci ſaccharo ſaturni miſceat, eumque in aqua graminis, manifeſto ſapore carente, ititemque hiſce inſectis adverſa habita, propinet. Delicatioribus ſola aqua, ex tota herba deſtillata, ſufficit, ſi cataplaſma, ex cocta radice ventri imponitur.

§ 29.

Quod utero conducat, dudum ex allatis innotuit. Movet enim menſes, lochia, & fœtum mortuum; matricalesque ſuffocationes ſedat. Sive vinum, cum ea digeſtum, ſive ſpiſſus ſuccus, in ▽ artemiſiæ ſolutus, bibatur, ſive radix recens, aut emollita per aquam, in peſſi forma

adhibeatur, aut, ejus loco linteum convolutum, ſuccoque expreſſo, vel decocto impraegnatum, in genitalia recondatur.

§ 30.

Præter hæc, uſus ejus ad externos affectus ampliſſimus eſt, quandoquidem Dioſcorides ſuccum *oculis inflammatis illini*, & *acribus collyriis* miſceri ſcribit: ibi quidem, ut nobis videtur, non in ſtatu, ſed in declinatione; hic vero, ubi vel cuticula, unguis dicta, conſumenda eſt, vel ſordes abſtergendæ ſunt, viſui obicem ponentes. Spectat huc hiſtoria 185 Reuſneri, a Velſchio edita, curatæ cœcitatis, quam totam adſcribam: *Puer integro anno cæcus, quod oculi ſordida quadam cruſta obducti eſſent. Multorum opera uſus, curari non potuit. Tandem accedens quidam, radicem gentianæ coquebat in vino, ad conſ. med. & oculis decoctum ſiphunculo injiciebat, per 3 vel 4 dies, mane. Mordebat quidem valde, ſed puer convaluit.*

§ 31.

Vulneribus nonnulli Chirurgi ſolam herbam contuſam, aut expreſſum ſuccum applicant, ulceribus autem pulverem inſpergunt. Tolluntur hac ratione impedimenta ſanationis, *putredo* ſcil. nimia, ſubſtantias læſas reſolvens, & *luxurians caro*, conſolidationem prohibens. Qui malignitatem aut venenum ſuſpicantur, admiſcent theriacam; haud omnino bono conſilio: cum mel, & alia ejus ingredientia externe actionem gentianæ remorentur, quæ,

ſibi

ſibi relicta, non minus efficax, quam ſcordium erit, cujus pulvere ſolo Guttmannum bubones peſtilentes ruptos, & alia maligna ulcera ſanaſſe, Reuſneri obſ. 133 nos certiores facit.

§ 32.

Quid in fonticulis repurgandis & ad juſtam humiditatis largitionem ſollicitandis, globuli, ex radice parati, poſſint, neminem latere putamus. Ulceribus cuniculoſis ſuccum mederi, ex Dioſcoride diſcimus, quibus ope ſyringæ infunditur. Si vero ex arida radice turundæ fiſtulis induntur, (quod Dioſcoridem participio ἐπιτιθεμένη innuiſſe, ſuſpicatur Cornarius,) tunc, verbis Hermanni, l. c. *laxior illarum ſubſtantia, a ſuſceptis humoribus intumeſcens, has ſenſim dilatat, & ſal acre callum exedit.* Per hanc ſalis acrimoniam ſuccus vitia cutis, ex quibus Dioſcorides ſolas vitiligines nominat, tollit, ſed lentigines etiam, ipſamque ſcabiem ſiccam corrigit.

§ 33.

Qui liquori, ex herba & radice, cum aqua ſimplici veſicæ cupreæ incluſis, exſtillanti æquales toti plantæ vires adſcribunt, falluntur: cum nimis fixa ejus elementa ſint, quam ut hac via in ſublime agi queant, & proinde exigua pars ſalina, per ignem reſoluta, aquam levi ſapore inficiat, ut teneriora ſaltem ſubjecta inde alterentur: talia ſcil. quæ ex levi cauſa ægrotantia, per blandiſſima quoque medicamenta reſtituuntur: imo per probatiſſima iſta Hippo-

cratica remedia, *quietem*, puta, *atque abſtinentiam*, adeoque per ſolam *expectationem* convaleſcunt. Ut proinde, quando Matthiolus, l. c. ſæpius ſe expertum eſſe, *febres, ab infarctu tam viſcerum, quam vaſorum*, excitatas, per aquam, ex vitreis organis & *vaporis balneum* deſtillatam, *mirifice* tolli, ſcribit, mera miracula illis narrare videatur, qui norunt, quam ſegniter ejusmodi calor aquam & fixa rerum principia elevet, quæ in veſica bullientia aſcendere nolunt. Quando autem generoſum vinum, loco aquæ, a Theodoro adhibetur, tunc plures equidem ſalinæ atque ſulphureæ moleculæ alembicum tranſcendunt, quæ tamen nullo modo vires integri concreti aſſequuntur. Id quod etiam de liquamine, per deſcenſum inde expulſo, ipſaque eſſentia, per 🜄 parata, judicandum eſt.

§ 34.

Quamvis enim hæc & extractum, inde, per abſtractionem menſtrui, reſultans, amariſſima ſint, & ſola pariter, ac cum aliis combinata, in plerisque hactenus enumeratis morbis manifeſtum uſum præſtent, vix tamen credibile eſt, teneriores ſulphureas, & quasdam ſalinas, cum hiſce in poros 🜄 receptas, omne illud præſtituras eſſe, quod 🜍eæ, & ſalinæ fixiores, una cum terreis, ejusmodi menſtruo non æque obtemperantes, ideoque in capite mortuo relictæ, effeciſſent, ſi cum ſubtilioribus ſimul in radice permanſiſſent. Longius adhuc a naturæ ſcopo recedunt, qui per *fermentationem, deſtillationem* ex *retorta*, & *calcinationem* liquores acres, fœtentes, oleumque empyreumaticum, & ſal alcali inde extorquent: cum talia

nova

nova entia, (quorſum etiam æthereum oleum, ſi ejus quippiam cum aqua ex veſica prodierit, pertinebit) virtutibus quidem minime careant, hisque atque illis affectibus, a radice expugnari ſolitis, frontem obvertant; ita tamen comparata ſint, ut iisdem carere poſſimus: cum nec omnibus indicationibus, nec eadem ratione, qua gentianæ radix in *pulvere*, *electuario*, *pilulis*, *infuſo*, *decocto* &c. hactenus conſuevit, ſatis faciant.

D. S. L. H. E. G.